

nebat, & quia alia gravia, & enormia contra dictum D. Episcopum, & Ecclesiam Aquensem commisit. Dicitur vero D. Episcopus hanc cartam fieri iussit. Interfuerunt Presbiter Bovus Gullielmus, cui dicitur Epistola, & Ruffinus Presbiter testes inde rogati. Ego Lanfrancus Calcaffena Sacri Palatii notarius hanc cartam mihi fieri iussam scripsi.

*Sententia de cuiusdam terra ad decimam obligata
Ecclesiae S. Mariae de Castello Alexandriae.*

188

MCCXXXV.

Annno Dominicæ Incarnationis MCCXXXV., in dictione VIII., die Sabati V. exeuntis octobris præsentibus D. Willelmo Magalaxino, & D. Willelmo Archipresbitero sanctæ Mariæ de Borgolio, & Presbitero Ruffino rogatis testibus. In Alexandria coram D. Bonifacio Ecclesiæ Alexandrinæ Archidiacono, & D. Philippo iudice, & assessore, & consiliatore Pastor de Marcello Sindicus Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Castello nomine ipsius Ecclesiæ conque-
rebatur de Pavasio filio Ingelerii Caballi Sindico hospitalis iusta Ecclesiam de Betleem nomine ipsius hospitalis, quod hospitale tenet, & possidet petiam unam jacentem ad Mortum in curia Roboreti, cohærent Ruffinus de Nig., & Bernardus Cap., & via una; quia prædicta terra est in decimatione ipsius Ecclesiæ de Castello, petit istius nomine a rescripto Pavasio nomine dicti hospitalis libras X. pro æstimatione fructuum decimæ perceptorum de prædicta terra a XX. annis antea, & ut condepnetur dictum hospitale, & sui Sindici nomine ipsius ad præstationem decimæ dictæ terræ in futurum a parte Ecclesiæ S. Mariæ, vel ejus Sindico. Item petebat pro expensis, quas faciet in hac causa, & super hoc dictus Pastor Sindicus confessiones istius Pavasi sindici, & testes produxit. Ex adverso dictus Sindicus dicebat prædicto nomine, quod istum hospitale, nec aliquis pro eo nunquam solvit decimam de dicta terra, sed eam tenuit sine præstatione decimæ per X. annos, & plus, licet dicta terra jaceret in curia Roboreti, & decimatione dictæ Ecclesiæ. Item dicebat, quod hospitale, nec pauperes debebant præstare decimam, sed recipere quartam decimæ de vino. Item dictum procuratorem male petiisse quum petierat existimationem decimæ, & non ipsos fructus decimæ, qui erant petendi, quamvis essent consumpti. Unde prædictus Philippus Iudex D. Archidiaconi, & capituli Alexandriae visis, & auditis testibus, & aliis rationibus hinc inde allegatis, & productis de voluntate dicti D. Archidiaconi condepnavit rescriptum Pavasium sindicum nomine dicti hospitalis, & per ipsum dictum hospitale in solid. XI. ad dies XXX. pro æstimatione fructuum decimæ præteriti temporis perceptorum de ipsa terra, & ut de cetero præstet decimam de fructibus dictæ terræ secundum morem consuetum rescripto sindico de Castello, & de residuo dictum hospitale prædicto nomine absolvitur, & fieri unum instrumentum, vel plura
percepit &c.

Ego Manfredus Lumbilicus Notarius Sacri Palatii, qui dicor Bos hanc chartam interfui, & scripsi.

Venditio vineæ facta a D. Ottone Rana, & filiis ejus monasterio S. Mariæ de Banno confirmata a D. Willelmo Manfredo, & Corrado MM. de Bosco.

MCCXXXV.

189

Annno a Nativitate Domini MCCXXXV., indictione VIII. quinta die intrantis decembris in loco Tarolii D. Otto Rana, & Willelmus ejus filius pretio den. bon. papien. lib. LXX., de quibus soluti, & contenti se vocaverunt, renunciantes exceptioni non numeratæ pecuniæ, & non soluti pretii vendunt, cedunt, & tradunt in allodio, & si plus valet, donaverunt dominæ Jacomæ ementi, & recipienti nomine monasterii S. Mariæ de Banno petiam unam vineæ quæ jacet in territorio Tarolii ad locum, ubi dicitur spol. cohæret ei via carloai, & drodii, & filia quondam Petri de spoltario; item partem unam molinæ, jacet in territorio Tarolii videlicet in moliis, cohærent ei Baldetus, & filia quondam Petri de spoltario a duabus partibus Ottollinus de Bossio. Item totam suam partem de personis, quæ fuerunt quondam Gastaldiorum, quæ sunt inter Boscum summæ ripæ, videlicet ubi dicitur alpexella, & in Bonellis de preta ad habendum, tenendum, possidendum, & quidquid sibi prædicto nomine, & suis successoribus deinceps perpetuo placuerit faciendum cum superioribus, & inferioribus finibus, vel si qui alii sunt eis accessibus, & egressibus suis usque ad viam publicam, & cum omnibus, & singulis supra se, & infra, seu inter se habentibus in integrum, omnique jure, & actione, usu, & requisitione sibi ex ea, vel pro ea pertinente, sive spectante, quam venditionem se se ejus nomine constituerunt possidere, donec corporalem possessionem acceperit, quam accipiendi, & retinendi deinceps licentiam omnimodam sibi contulerunt, atque dederunt nomine prædicti monasterii promittentes dicti venditores pro se, suisque heredibus prædictæ dominæ Jacomæ nomine dicti monasterii, & suis successoribus nec litem, nec controversiam movere, sed prædictam venditionem ab omni homine, & universitate legitime defendere ei, & suis successoribus, & cui dederint & disbricare, omneque damnum litis, & expensas reficere, nec contra prædicta, vel aliquem prædictorum facere, vel venire occasione minoris pretii vel alia quacumque ratione sub pœna dupli obligantes pignori omnia sua bona habita, & habenda. Et insuper D. Sibilia ipsi Ottonis Ranæ uxor eidem venditioni consensit, & renunc. penitus omni suo juri, & actioni, quod & quam habebat, vel habere poterat in dicta venditione promittens pro se, suisque heredibus stipulatim non contrafacere, vel venire sub pœna dupli renunc. juri Hypotecarum Senatus Cons. vel & omni juri legum auxilio obligantes pignori omnia bona sua. Et prædicta omnia dictus Otto Rana, & uxor sua D. Sibilia, & Willelmus ejus filius corporaliter juraverunt perpetuo rata, & firma habere, atque tenere, nec restitutionem aliquam in integrum postulare, nec occasione aliqua contrafacere, vel venire, sed semper in defensione permanere, & in